



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 6. Dona divina, & humana, vocantur benedictiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

l. i. miscell. c. 51. habet oleum Deus, habet oleum & Mundus: ad oleum Dei vasa deficiunt; oleum Mundi in vasis deficit: oleum Dei, dulcedo aeternorum; oleum Mundi delectatio praesentium; illa sufficit, ista deficit. Sylveira in Jo. 4. q. 37.

Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum &c. Joan. 4. 13. Cur haec aqua Christi extinguit sitim in aeternum, cum angelus dederit Eliae potum solum ad quadraginta dies? 3. Reg. 19. 7. 8. Aqua Christi est donum à manu Domini veniens. At aqua distributa manu ministri, etiam angeli, in occasione deficit, & non tollit sitim. Id. ib. q. 22.

Dabo tibi coronam vitae. Apoc. 2. 10. Cur non addit aeternae? cum revera ita sit. Sed hoc subintelligitur: quia cum haec corona datur à Deo, certum est, quod sit aeterna; talia enim sunt dona Dei. Sylveira hic.

§. V.

Dona Dei ad omnes se extendunt.

Ecce ego pluam vobis panes de caelo. Ex. 16. 4. & Psalm. 77. 24. Sap. 16. Cum multa mirabilia facta sint in Aegypto per manum Moysis, & ejus virgam, Ex. 7. &c. cur non etiam in manna adest manus Moysis? Deus per illum utrumque poterat praestare; sed vexetur per manum Moysis Aegyptus. Dum verò manna, supremi Regis donum, è caelo cadit, ipse Dominus det, & pluatur; nulla hic sit manus ministri, ut nullus esuriat, sed omnibus abundet. Cassiodorus l. 12. var. 11. dona regum nullà debent pollutione fuscari; sed, sicut ab ipso exeunt copiosa, ita debent ad cives pervenire: mutant enim quamlibet largitatem ministrorum manus. Sylveira in Jo. 4. q. 22.

Multi in nativitate ejus gaudebunt. Luc. 1. 14. Quare multi, & non omnes? Bada hic: notandum, quod natò Praecursore multi gaudebunt; natò autem Domino annuntiat Angelus gaudium magnum, quod erit omni populo. Luc. 2. 10. Quia videlicet hic salutem multis praedicare; ille omnibus, qui velint, venit donare. Hoc discrimen inter salutem, & bonum, datum

à Deo, & homine: quod enim est à Deo largitore, ad omnes se extendit; quod verò ab homine, ad paucos. Sicut etiam dixit Angelus Zachariae: *uxor tua Elisabeth pariet tibi filium*; at B. Virg. *ecce concipies in utero, & paries filium*. Sed cur, sicut Zachariae, non est appositum tibi? Sanctus Chrysologus f. 142. *quia sanctum vocabitur Filius Dei*: qui Filius Dei est, omnibus nascitur; Filius verò hominis tantum particulatibus, scilicet tibi. Sylveira in Luc. 1. q. 19.

Regnabit in domo Jacob. Luc. 1. 32. Quare non dicitur in domo Abraham, Isaac? In domo Abraham duo sunt nati filij; unus tantum, scilicet promissionis, obtinuit benedictionem. In domo Isaac duos peperit Rebecca; unus tantum assecutus est benedictionem. At in domo Jacob duodecim progeniti filij; & omnes propriis benedictionibus ditati sunt à patre Gen. 49. 1. &c. In hac ergo domo praefigurabatur regnum Christi; cujus dona non unus, vel alter possidet, sed ad omnes se extendit. Sylveira hic. q. 40.

§. VI.

Dona divina, & humana, vocantur benedictiones.

Suscipe benedictionem. Gen. 23. 11. *Benedixit Dominus domui Aegyptij* Gen. 39. 5. *Suscipe benedictionem hanc.* 1. Reg. 25. 27. *Obsecro, ut accipias benedictionem.* 4. Reg. 5. 15. *Dominus benedixit novissimis Job magis, quam principio ejus.* Job 42. 12.

Benedicta tu in mulieribus. Luc. 1. 28. Hebr: *Berucab*; quod donum & beneficium significat. q. d. maximis à Deo inter omnes beneficiis ornata. Benedictionem enim significare beneficium patet 1. Reg. 25. 27. Ubi Abigail dona quadam offerens David ait: *suscipe benedictionem hanc*. Et Naaman 4. Reg. 5. 15. cum à lepra curatus quadam Eliseus daret; *obsecro, inquit, ut accipias benedictionem à servo tuo.* Dic. conc. 2. de Incarnat. div.

